nitum tuum redemptorem nostrum ad celos ascendisse cre-
dimus: ipsi quoque mente in celestibus habitemus. per eundem

Primum quidem sermonem **Lectio actuum apostolorum**
feci de omnibus o theophile que cepit ihesus facere
et docere: usque in diem qua precipiens apostolis per spiritum sanctum.
quos elegit assumptus est. Quibus et prebuit se ipsum vi-
vum post passionem suam in multis argumentis per dies
quadraginta apparens eis: et loquens de regno dei.
Et convescens precepit eis ab iherosolimis ne disce-
derent. sed expectarent promissionem patris quam audistis in-
quit per os meum: quia iohannes quidem baptizavit aqua.
vos autem baptizabimini spiritu sancto. non post multos hos
dies. Igitur qui convenerant: interrogabant eum dicentes.
Domine: si in tempore hoc restitues regnum israel. Dixit autem
eis. Non est vestrum nosse tempora vel momenta que pater po-
suit in sua potestate: sed accipietis virtutem supervenien-
tis spiritus sancti in vos. et eritis michi testes in iherusalem. et in
omni iudea. et samaria. et usque ad ultimum terre. Et cum
hec dixisset: videntibus illis elevatus est. et nubes suscepit
eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in celum euntem
illum: ecce duo viri astiterunt iuxta illos in vestibus